DIVINA ac COELESTIS
SALUTATIO

Ad omnes

Tenero ſeu Contrito corde

CHRISTIANOS,

Regnum ſcilicet Dei Juſtitiamque ejus quærentes;

Quos rogo & obſecro

Ut haſce, quæ ſequuntur, lineolas in eodem Dei amore perlegere dignentur, in quo eæ ipſis à me miſſæ, qui omni humano generi, ſicuti in hoc ſeculo felicitatem, ita in futuro æternam ſalutem apprecor & exopto

GEORGIUS FOX.

LONDINI,

Impenſis *Thomæ Northcott*, in Area Georgina, in Vico vulgo vocato Lumbard-ſtraet. 1690.

4. Sh. I. 160. a.

SALUTATIO, &c.

OMnibus mundi Chriſtiani tenero ſeu contrito corde Incolis, quorum facies Hieroſolymam cœleſtem verſus ſunt converſæ, quorumque animi intro-verſi Spiritu Divino ad Chriſtum attrahuntur, Gratiam & Pacem per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum! Qui nova & viva ad Deum eſt via, (*a*) qui & ſolus inter Deum & genus humanum mediator (*b*) exiſtit, omneſque homines in mundum hunc venientes illuminat (*c*) cœleſti & divina ſua Luce, quæ Lux eſt vita, (*d*) eratque in Chriſto, qui λόγος eſt, per quem omnia facta & condita ſunt. (*e*)

Chriſtus præcipit: *Credite in Lucem, ut Lucis filii fiatis* (*f*); Chriſtus ergo, qui non eſt de hoc mundo, ſed ἐκ τῶν ἄνω, deſuper, (*g*) ſuam nobis Lucem, in quam credamus, in qua ambulemus, quo Lucem vitæ obtineamus, (*h*) gratificatus eſt; Qui itaque luci huic fidem habet, lucis filius & ex Deo natus eſt, mundoque devicto ex morte, authore Adamo illata, tranſit, & in Chriſtum, ſecundum Adamum, & Vitæ Authorem, inſitus eſt, & ſic omnes vivi lapides, ſeu viva vivi Capitis membra evadunt, & ita hujus lucis filioli in luce hac ambulantes cum Patre & cum filio ejus Jeſu Chriſto & ſe invicem communionem habent; (*i*) Omnes autem Chriſtiani Lucem hanc ſibi a Chriſto conceſſam negligentes divina hac & cæleſti communione deſtituuntur.

Noſque hoc ſequens de Chriſto oraculum comprobando comprobatum teſtamur, quando Deus (*k*) ait: Dabo illum in fœdus lucem gentium, ut ſit ſalus mea ad extremos uſque orbis terrarum fines. Hinc iis, qui ſuam ſibi ſalutem acquirere, fœduſque cum Deo inire ſatagunt, maxime patet neceſſarium eſſe, hanc Chriſti Lucem obtinere, quæ dat Lucem ad illuminationem ſcientiæ gloriæ Dei

(*a*) Joh. 14: 6. (*b*) 1 Tim. 2: 5. (*c*) Joh. 1: 9. (*d*) Joh. 1: 4. (*e*) Joh. 1: 1, 3. (*f*) Joh. 12: 36. (*g*) Joh. 8: 23. (*h*) Joh. 8: 12. (*i*) 1 Joh. 1: 3. (*k*) Jeſ. 49: 6, 8.

in facie Jesu Christi, lucentemque in cordibus eorum; Thesaurus nempe hic cœlestis in Vasis terrenis. (*l*)

Et si cuncti, qui nomine Christiani vocari gaudent, fidem luci huic habuissent, quæ est Vita, & dicitur in Christo eam esse (*m*) quamque Christus dat, & homines admonet, ut in eam, tanquam donum ab ipso ipsis donatum, credant, tunc omnes Lucis filii & Diei Christi fuissent, inque unitate & communione lucis vitam agentes, tot certe fidei formulas & Confessiones, quæ tantæ inter homines cædis causa fuere, minime condidissent.

Sique cuncti tales dicti Christiani Christi doctrinam Ecclesiæ suæ ab Apostolo demandatam, observandam curassent, adhortante eos: Jesum fidei nostræ autorem & Consummatorem esse consulendum (*n*); Tunc, ut jam diximus, non tot fides, quarum causa ad necem se invicem insectati sunt, promulgari, operam tam sedulo navassent, Nullus siquidem eorum, qui ἐκ τῶν κάτω seu deorsum sunt, divinam & Catholicam fidem condere valet. Hoc demum dico: Christum nempe fidei nostræ, Sanctæ, Divinæ, Præstantis, Catholicæ seu Universalis Authorem & Consummatorem esse, quam unus ille Sanctus de fide in fidem nobis revelat; Hujus fidei sanctæ mysterium (*o*) in pura tantum Conscientia, non autem in impura conservatur, corda emundat, (*p*) & victoriam in id, quod Deo invisum est, quod & Deum nobis alienum reddit, affert; qua fide Sancta a solo isto Sancto nobis donata Sancto Deo grati sumus, perque hanc accessum ad illum obtinemus. Hinc nobis victoria in id, quod Deo ingratos & alienos nos efficit, cedit; In hac Sancta & divina fide unitas sita est nostra; Et ita Christo hujus authori & Consummatori affertur honos, ut qui nobis hanc Lucem dat, quæ est in seipso, vita, & est ipsemet, in quem credamus.

Quam glorioſam ſortitus eſſet Orbis Chriſtianus conditionem, ſi modo Doctrinam Chriſti & Apoſtolorum Eccleſiis propoſitam non declinaſſet, quæ ſic ſe habet: Illuxit gratia illa Dei ſalitufera omnibus hominibus, erudiens nos, [Chriſtianos nempe quovis ſeculo] ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, ſobrie, juſte & pie vivamus in præſenti ſeculo. (*q*) Quam felices, dico, utique fuiſſent Chriſtiani, ſi jam ab Apoſtolorum ſeculo huic gratiæ

(*l*) 2 Cor 4: 6, 7. (*m*) Joh. 1: 4. (*n*) Hebr. 12: 2. (*o*) 1 Tim. 3: 9. (*p*) Act. 15: 9. (*q*) Tit. 2: 11, 12.

tiæ, tanquam Institutrici suæ, sese regendos dedidissent, ita enim salutis compotes facti Deum propitium habuissent ; sique ad hunc modum ab omnibus factitatum fuisset, non tot auribus prurientes forent, tot literarum ludos Collegiaque instituenda curantes, unde Doctores prodirent, quorum opera Orbis Christianus in antiquum Babylonis statum, Confusionem nimirum [sibi invicem pugnaciter contradicentes] est redactus.

Ast dixerit forsan aliquis : num hæc gratia undequaque sufficiat ? Resp. Christus Paulo, ærumnis atque periculis circundato, sufficere hanc affirmavit. (r) Nec millies Mille deerunt testes, qui suffragiis suis, Dei gratiam sufficere, comprobabunt, quippe quæ : quid sit vitandum ; quomodo vita sit instituenda ; & quod sit revera salutifera, doceat ; sicut enim Lex in V. T. per Mosen data est, ita gratia & Veritas per Jesum sub Novo Fœdere extitit (s) gratia hæc & veritas cordibus Sanctorum Dei insita est, hique sub gratia degent, & gratiæ fœdere sunt concluſi ; Christus enim gratia Dei mortem pro singulis gustavit (t), ut omnes ex morte, per Adamum invecta, resurgant, & ad lucem & vitam, quæ est in ipso, per suam lucem, gratiam, veritatem & fidem, ut cujus ipse est autor in cordibus eorum, veniant, secundum notissimam Joëlis prophetiam, qui dicit : (v) Deum Spiritum suum super omnem carnem effusurum, & Prophetabunt filii filiæque, senes somnia somniabunt, electi visiones videbunt ; Id quod olim comprobatum Apostoli Judæis commonstrarunt. (x) Ast, quid quæso rei est, quod nunc filii filiæque seneſque amplius nec prophetent, nec somnia somnient, nec visiones videant ? Acciditne hoc non ideo, quoniam à spiritu Dei aberrantes tristitia eum affecerint extinxerintque, quem super ipsos effudit, Judæorum instar, quibus quoque Deus bonum suum spiritum quidem largitus, verum huic isti obnixe restiterunt ? (y) Annon ideo sibi mutuo ruinam molientibus & unitate derelicta Christianis tanta exorta est sectarum confusio ? Ullumne igitur est aliud & tutius & verius medium omnibus hisce Christianis atque adeo omnibus totius orbis populis ad spiritualem hanc unitatem & communionem perveniendi, quam ut institutioni istius spiritus, quem effudit Deus super illos, sese subjici patiantur & cujus opera eorum cordis præputia

(r) 2 Cor. 12: 9. (s) Joh. 1: 17. (t) Hebr. 2: 9. (v) Joël 2: 29. (x) Act. 2: 14. seqq. (y) Neh. 9: 26.

ſunt circumcidenda, & peccati mortiſque corpus, per Adami lapſum invectum, ipſi autem antea ignotum, ſuccidendum.

Et per hunc ſpiritum iſtos oportet baptizari, ſi peccatum ipſis ſubmergendi ſit animus; Omnes dico, oportet baptizari in unum Corpus & in unum ſpiritum potare. (z) Hic Dei Spiritus omnes in ſocietatem & unitatem redigit, hic enim Dei Spiritus vinculum eſt pacis. (a) Illius ductu nos proficimus; ipſe eſt, qui æque nunc ſanctis Dei hominibus, uti olim Apoſtolorum diebus, Divinas Prophetias, viſiones & ſomnia aperit.

Chriſtus Jeſus ante 1600. annos cultum ſpiritualem ſpiritu & veritate præſtandum, Judæorum vero Cultu Hieroſolymis, ut & Samaritanorum ad fontem Jacobi, improbato, inſtituit, dicens: adventat tempus & nunc eſt, cum veri Cultores Patrem adorabunt in Spiritu & Veritate, à talibus enim Pater ſe coli poſtulat. (b)

Neceſſe ergo habent omnes, ut ad hunc Dei Spiritum Ipſiusque Veritatem intus in Cordibus ſuis patefactam, perveniant, qua Deus Veritatis cognoſcendus eſt, qui eſt Spiritus immenſus, & in hac ſua Veritate & ſpiritu Deus Veritatis eſt colendus & adorandus.

Nunc itaque, ſi omnes Chriſtiani Veritatis & ſpiritus interne in Cordibus ſuis ductum ſequuti fuiſſent, utique cultum à Chriſto, Domino cœleſti, inſtitutum retinuiſſent, [nullus enim ab alio quovis præſtantior inſtitui poteſt] unde tot Adorandi Numinis genera eſſent mundo inaudita & prorſus incognita & mutuis vulneribus illius gratia temperaſſent. Omnis ergo orbis terrarum populus ad Spiritum Dei & veritatem cordibus eorum implantatam, ſi nimirum Deum & Creatorem rite colere velint, eſt revocandus; Deus enim populum ſuum per filium ſuum docturus eſt ipſe, uti Apoſtolus teſtatur dicens: (c) Deus multipliciter & multifariam olim majores per Vates allocutus, poſtremis hiſce temporibus allocutus eſt nos per filium; Hic ſerpentis Caput comminuit, qui ſerpens hactenus omnium Pſeudotheologorum, Religionum mendoſarum, Conventuum ſubdolorum, cunctorumque hujus generis cultuum Caput ſe effecit. Deus itaque nunc populum ſuum filii miniſterio alloquitur, & eſt ipſe, qui Adamum allocutus eſt in Paradiſo, Adamus vero hac Dei inſtitutione neglecta

(z) 1 Cor. 12: 13. (a) Eph. 4: 3. (b) Joh. 4: 23. (c) Hebr. 1: 1.

glecta & Serpentis comprobata, felicitatem ſuam amiſit, quam & Judæi ſimul atque Chriſtiani, horum veſtigiis inſiſtentes, perdiderunt. Omnes ergo per Spiritum, Lucem, Gratiam & Veritatem ſecundum Jeſum, ad Chriſtum Jeſum Prophetam, illuſtrem Paſtorem, Epiſcopum, Doctorem & Conſiliarium, quo Deum ſibi ipſis per Filium loquentem audiant, reverti oportet. Nam qui Filium habet, vitam habet, qui vero Filium non habet, vitam non habet, (*d*) licet omnium ſe ſcripturarum cultorem religioſiſſimum profiteatur; Nec poteſt eſſe ulli Filii copia, niſi Lucis, Gratiæ & Veritatis a ſe manantis intuſque receptæ opera.

Cur autem non omnes Chriſtiani, qui Chriſtum profitentur, ſunt filii filiæque Dei? Nonne ideo, quia Chriſtum in ſua gratia & Veritate ab ipſo proveniente in Corda ſua intromittere non dignantur?

Adamus & Eva fructu vetito, prohibente Deo, manducato mortem ſibi & poſteris ſuperinduxerunt; Chriſtus vero Adamus ſecundus ſe Panem de Cœlo miſſum profeſſus eſt, & niſi quis hunc panem de Cœlo miſſum, quem ipſe daturus eſt, comederit, non eſſe vita fruiturum. (*e*) Ex edendo igitur devenit mors, ex edendo itidem, non loquendo, introducta eſt vita; hunc panem & nunc de Cœlo largitur Chriſtus, ipſe enim eſt panis cœleſtis, rupes & fundamentum cœleſte; Chriſtus idem hodie, qui heri & in ſecula ſeculorum futurus eſt (*f*) populo ſuo, qui mortuus revixit rurſum & in omnes omnium ætates vivet, (*g*) & in populum ſuum regnabit.

In hoc nunc Evangelico Chriſti die, in hoc novo fœdere Deus dat leges ſuas in mentem populi ſui, & in cordibus eorum ſuperſcribit eas, ut omnes cognoſcant Deum a maximis ad minimos, nec neceſſe eſt dicere fratri ſuo: Cognoſce Deum. (*h*) Hoc oraculum comprobatum teſtantur hominum millia, Amoris ſc. fidei & vitæ Legem, ita a Deo ipſis in mentem datam & eorum Cordibus inſcriptam, ut eam quilibet legere queat. Hi demum ſunt Hieroſolymorum liberi (*i*), quæ eorum mater omnium conſtituitur, nec ullam aliam præter Hieroſolymam ſuperne deſcendentem agnoſcunt matrem, ſicut a Chriſtianis primævis factitatum erat; Hi ſunt, qui Eccleſiam Primogenitorum, Cœlo receptam, ſole amictam,

(*d*) 1 Joh. 5: 12. (*e*) Joh. 6: 51, 53. (*f*) Hebr. 13: 8. (*g*) Rev. 1: 18. (*h*) Jer. 31: 33. Hebr. 8: 10; 11. (*i*) Gal. 4: 26.

amictam, Lunam ſub pedibus poſitam (*k*) conſtituunt, nimirum omnes Eccleſias, Cœtus, Cultus, Religiones & Doctores, qui ad Lunæ moduni ſunt inſtabiles, Sole Vero immutabiliter exiſtente, qui ſua membra viva conveſtit, & ſuæ domui, ſacerdotio regali, præeſt ad Sacrificia divina, non vero carnalia, facienda Deo per Jeſum Chriſtum accepta. (*l*).

Cum Chriſtus diſcipulos ſuos ad Evangelium omni Creaturæ ſub Cœlo prædicandum miſit, haut ipſis mandavit, ut id ſub vinculorum, ſuſpendii, Corporum igne cremandorum aut bonorum abripiendorum pœna iis,qui in hoc credere & iſtud recipere recuſarent, proponerent.

Tempus itaque nunc admonet, ut omnes Chriſtianiſmum confitentes gladio materiali Religionis cauſa recondito Chriſti præceptis obtemperent,qui hominum vitas non perditum,ſed ſervatum venit, (*m*) atque ideo Deum, Chriſtum, & ſeinvicem imo & inimicos amore proſequantur, Amor enim & Charitas aliis mediis omnibus merito anteponitur, nec injuria præ Cymbalis & æramentis ſonantibus in pretio habetur (*n*); nam qui in amore habitat, in Deo habitat. (*o*)

Vos autem Doctores Eccleſiarum veſtrarum, qui ſcommate hæc petitis & motiones ſpirituales riſui habetis, ſcitote, vos ſcripturas, quas nunc dierum cauponamini, nunquam obtinuiſſe' niſi ſancti iſti Dei homines eas, prout Spiritu Divino acti fuere, elocuti fuiſſent. Hinc liquido patet, vos a Spiritu Dei, quo olim acti fuere Apoſtoli, ipſiuſque motione & communione, a Patre & Filio promanante, in qua Apoſtoli quondam fuere, turpiter deſciviſſe. Hæc autem vera eſt Chriſti cognitio ſinceraque eocum conformitas, cujus Apoſtolus ad Eccleſiam Chriſti mentionem facit, dicendo: ad Cognoſcendum illum & virtutem reſurrectionis ejus, & communionem paſſionum illius, configurati morti ejus. (*p*) Qui itaque Chriſto ſunt conformes, dicenti: ſe non eſſe de hoc mundo, ſed deſuper; (*r*) iſti huic mundo conformes eſſe nequeunt.

Vos itaque Cuncti, qui a Chriſto vobis nomen attribuitis,percipite, quod Apoſtolus dicit: (*q*) Diſcedat ab injuſtitia omnis, qui nominat nomen Chriſti. Et (*ſ*) ſi quis Spiritum Chriſti non habet,

(*k*) Ap. 12: 1. (*l*) 1 Pet. 2: 5. (*m*) Luc. 9: 56. (*n*) 1 Cor. 13: 1. (*o*) 1 Joh. 4: 16. (*p*) Phil. 3: 10. (*q*) Joh. 8: 23. (*r*) 2 Tim. 2: 19. (*ſ*) Rom. 8: 9.

non

non eſt ejus. Ipſe rurſus notum facit Eccleſiæ Chriſti: (*t*) quod nemo poteſt dicere Dominum Jeſum, niſi in Spiritu Sancto. Atque (*v*) a Patre & filio procedit Spiritus Sanctus. Et Corinthiis dicit: Vosipſos tentate, an ſitis in fide, vosipſos explorate, annon cognoſcitis vosmetipſos, quod Jeſus Chriſtus in vobis eſt, niſi forte reprobi eſtis. (*x*) Ab eodem Apoſtolo Romanis quoque prædicatum eſt: (*y*) Prope te verbum eſt, in ore tuo & in corde tuo, hoc eſt verbum illud fidei, quod nos prædicamus. Ad Coloſſenſes ſcribit: (*z*) Myſterium illud, quod abſconditum fuit a ſeculis & a generationibus, nunc manifeſtatum eſt ſanctis ejus: Quibus voluit Deus notum facere, quæ ſint illæ Divitiæ glorioſi illius Myſterii inter gentes, qui eſt Chriſtus in Vobis, ſpes gloriæ. Quem annunciamus, admonentes quosvis, & quosvis erudientes omni ſapientia, ut quosvis ſiſtamus perfectos in Chriſto Jeſu. Vos itaque omnes, qui vosmetipſos Chriſtianos prædicatis, conſiderate & perpendite allegata nunc Scripturarum Verba, habetiſne Spiritum Chriſti? ſi non; quomodo Chriſti eſſe poteritis? Ipſumque vocare Dominum? Eſtne Chriſtus in vobis & verbum fidei in corde & ore veſtro, ad ei obediendum & ad id præſtandum? Ah! mementote manna abſconditi in corde, & Veritatis in intimis animi receſſibus poſitæ, quæ apud Dominum in magno pretio habentur, (*a*) Salemque, quo cuncta, quæ ſapiunt, cognoſcatis, in vobismet retinete. (*b*) Nec minus oleum in propriis veſtris lampadibus habete, ne fatuis virginibus ſimiles ſitis. (*c*) Talenta vobis concredita occupantes pigri ſervi cenſuram evitate; (*d*) Declaratio enim Spiritus Dei unicuique ad proficiendum datur; (*e*) Nec ſitis locutores, aut verbi Dei tantum auditores, verum illius voluntatis executores, ne veſtras ipſas ſeducatis animas; (*f*) Religioſus ſiquidem cultus & incontaminatus apud Deum & Patrem hic eſt: inviſere Orphanos & Viduas in afflictione ipſorum, & immaculatum ſeſe conſervare a mundo. (*g*) Omnes ergo, qui Chriſtianam profeſſionem profitentur, hunc cultum Religioſum, ipſos a mundi maculis immunes reddentem, colere oportet; hæc enim Religio omnibus mundi Religionibus maculis conſpurcatis præſtantior, ſuumque cultorem mitem, purum, ſanctum tenerumque ad viſitandum Viduas & orphanos efficit. In quem ſtatum,

(*t*) 1 Cor. 12: 3. (*v*) Joh. 15: 26. (*x*) 2 Cor. 13: 5. (*y*) Rom. 10: 8. (*z*) Col. 1: 26, 27, 28. (*a*) Rev. 2: 17. (*b*) Col. 4: 6. (*c*) Matth. 25: 12. (*d*) Matth. 25: 30. (*e*) 1 Cor. 12: 7. (*f*) Jac. 1: 22. (*g*) Jac. 1: 27.

ut omnes tandem dicti Christiani perveniant, Deum omnipotentem obnixe rogatum habeo.

Porro de veris dixit Christianis Apostolus: (*h*) Vos estis Templum Dei viventis, sicut dixit Deus: habitabo in eis & inambulabo, & ero illorum Deus & ipsi erunt mihi populus. Et rursus: (*i*) An ignoratis, corpus vestrum esse templum Spiritus Sancti, qui est in Vobis, quem habetis à Deo? Christianitatis ergo professores ubivis gentium hanc sibi notitiam ratam habere quam maxime debent, quod nimirum ipsorum Corpora sint Dei viventis templa.

In V. T. Judæi externum templum habebant, Stephanus vero in N. T. ait: Excelsissimus ille in manufactis templis non habitat. (*k*) Sicut Deus, uti antea dictum, dixit: En habitabo in eis & inambulabo & ero ipsis Deus, & illi erunt mihi populus; Et sicut Apostolus: vestra corpora sunt templa Dei viventis & Spiritus Sancti; Ita hanc quoque notitiam Christiani fide sibi intime familiarem reddant oportet.

Paulus alibi ad hunc modum loquitur: (*l*) An ignoratis vos esse templum Dei, & Spiritum Dei in vobis habitare? si quis templum Dei violat, hunc perdet Deus, nam templum Dei Sanctum est, quod estis vos. Omnes itaque nomen Christiani profitentes, inhabitantem quoque in se Dei Spiritum, simulque ipsorum corpora esse Dei viventis templa, vere cognoscere debent, quæ, ne polluantur, summa cura est adhibenda, ne Dei manu pereant, qui sanctus est, qui & sanctitatem ab omnibus suis expectat.

Christus Pharisæis summis Veteris Testamenti externe cultoribus dixit: (*m*) Regnum Dei non venire, ut observare possit, neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic; Ecce autem Regnum Dei intra vos est; Vos itaque omnes, qui vosmetipsi Christianismi professione utimini, invenistisne Regnum Dei in vobis?

Christus ait: Regnum cœlorum simile esse fermento, quod acceptum mulier indidit in farinæ sata tria, usque quo fermentaretur tota. (*n*) Estque simile Regnum Cœlorum grano sinapis, quod acceptum quispiam sevit in agro suo. (*o*) Hoc igitur pacto Vos, qui Christiani appellamini, vosmet tentate, num Regnum hoc, Margaritam illam pretiosam in agro vestro abditam, offenderitis?

Agite

(*h*) 1 Cor. 16:19. (*i*) 2 Cor. 16:16. (*k*) Act. 7:48. (*l*) 1 Cor. 3:16, 17. (*m*) Luc. 13.20, 21. (*n*) Matt. 13:33. (*o*) Matth. 13:31.

Agite candela accenſa, verſaque domo, theſaurus hic in vaſis veſtris terrenis indubitanter a Vobis eſt inveniendus, quem hactenus extra vos in vanum quæſiviſtis; & ut fermentum Regni ad fermentandum animas, corda & mentes veſtras in unicam Maſſam cœleſtem cognoſcatis, uti eſt apud Matt. 13. & Luc. 15.

Apoſtoli ſententia eſt: Neminem niſi Dei Spiritum, quæ Dei ſunt, percipere poſſe: nos vero non ſpiritum mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui eſt ex Deo, ut faciamus, quæ Deus nobis gratificatus eſt. (p) Omnes ergo, qui ſemetipſos Chriſtianos profitentur, ſi unquam Deum, Chriſtum, & quæ Deus ipſis gratis abſque mercede aut pretio largitur, rite cognoſcere velint, oportet ad Spiritum Dei in ſemetipſis operantem perveniant.

Jeſaias proclamat: (q) Heus! quisquis ſitit, venite ad aquas iſtas; & Vos, quibus nulla eſt pecunia, venite, comparate abſque pecunia & abſque pretio Vinum & Lac: Cur expenditis pecuniam pro nullo cibo, & laborem veſtrum pro re minima ſatiatura? auſcultate indeſinenter mihi, & comedite bonum, atque oblectet ſe hac pinguedine anima Veſtra, inclinate aurem veſtram & venite ad me, audite, ut Vivat anima Veſtra. Nonne nunc tempus efflagitat, ut omnes Chriſtiani Dominum per ſpiritum ſuum audiant veniantque ad aquas vitæ ad animas ſuas vivificandum? Sic & ſpiritus ſponſaque dicunt: (r) Veni; & audiens dicat: Veni, volens accipiat aquam vitæ gratis. Heic ergo adſunt, qui gratis ad uſum aquæ Vitæ invitant, ſine pecunia, ſine pretio.

Inſuper Deus ait: (ſ) Reſpicite ad me & ſalvamini omnes fines terræ, quia ego Deus & alius nullus. Nunc itaque Deus Spiritum ſuum in omnem carnem effudit, ut per eum Dominum Jeſum Chriſtum reſpiciant, ſalutemque ſuam adipiſcantur.

Deus item dicit: (t) omnes terræ fines ſalutem intuebuntur Dei. Id quod futurum eſt per ſpiritum. Porro inquit Dominus: (v) Juſtitia mea in ſeculum erit, & ſalus mea in omnes generationes; & alibi ait: (x) fortitudinem populi ſui in hoc conſiſtere, ut maneant, nempe in ſpiritu & potentia Dei. Huc pertinet & illud: (y) Expectantes Dominum, mutant vires, aſcendunt pennis ſicut aquilæ; currunt, neque defatigantur; pergunt, neque defetiſcuntur. In hoc ſitum eſt ſolamen cunctorum Dominum expectantium, quorum

(p) 1 Cor. 2:11,12. (q) Iſ. 53:1,2. Joh. 7:33,38. (r) Apoc. 22:17. (ſ) Iſ. 45:22. Exod. 14:13. 1 Chron. 20:17. (t) Iſ. 45:22. (v) Iſ. 51:8. (x) Iſ. 52:10. (y) Iſ. 30:7.

fortitudo in consistendo sive manendo ponitur, & in ejusmodi sensu, Dominum, salutem ipsorum, intuebuntur.

Atque (z) omnes Filii Domini edocti erunt a Domino, amplaque erit pax filiorum suorum, in Justitia stabilientur. Et (a) cuncta in Filios Dei conficta arma non prosperabuntur, omnesque linguas in judicium adversus ipsos insurgentes, hi, qui à Domino edocti, condemnabunt.

Nos, qui a Domino edocti sumus [quæ est sua erga nos Clementia] arma multa linguasque varias adversum nos insurgentes Dominum compressisse testamur; Deus enim suos ad linguas fallaces judiciaque mendacia confutandum potentia imbuit Filiolos.

De Ratione Canendi & Precandi.

Pauli Apostoli sententia de ratione canendi & precandi hæc fuit: (b) Orabo spiritu, sed orabo etiam mente, psallam spiritu, sed psallam etiam mente. Judæ Apostoli ad Ecclesiam Christi adhortatio fuit: (c) ut in Spiritu Sancto orarent. Libros itaque ipsis, ex quibus preces eloquantur, non commendabant, ast spiritu orare & mente, librorum usum nullo modo implicare videtur.

Apostolus dicit: (d) spiritus sublevat infirmitates nostras, quid enim oremus, ut oportet, non novimus, sed ipse spiritus intercedit pro nobis suspiriis inenarrabilibus; qui vero scrutatur corda, novit, quid sapiat spiritus, quia secundum Deum intercedit pro sanctis.

Ut ergo omnes spiritum in cordibus, quo pro seipsis & omnibus aliis rite orent, percipiant, & Dominum summis prosequantur laudibus pro omni sua erga se bonitate, quæ in secula est, exoptat mihi animus sincerus.

Hic Apostolus dixit: Deus arcana sua nobis per spiritum retexit, spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunditates Dei. (e) & alibi: (f) Justitia Dei revelatur ex fide in fidem. Huc pertinet & illud: (g) Notum vobis facio fratres, Euangelium, quod est a me Euangelizatum, non esse secundum hominem, neque enim ego ab homine id accepi, neque edoctus sum, sed per revelationem Jesu Christi. Ex quibus hæc oritur quæstio: An quispiam Justitiam Dei, fidem in Christum, profunditates Dei & Euangelium Christi prædicare rite valeat, nisi Spiritu Dei hæc ipsi, uti olim, diebus nempe Apostolorum, retegantur?

Idem Apostolus ait: Quando vero libuit Deo, qui separavit me ab utero matris meæ, & vocavit me per gratiam suam, revelare filium suum in me, ut Euangelizarem ipsum in gentes. (h) Et ipse Christus clare dicit: (i) Nemo novit filium nisi Pater, neque Patrem quisque novit, nisi filius, & cuicunque voluerit filius ipsum retegere.

Potestne igitur ullus verus Filii aut Patris esse Minister aut Præco absque Revelatione ejusmodi divina? Christus enim aperte asserit: neminem Patrem aut Filium, nisi spiritu revelante, cognoscere posse; Hinc sequitur: neminem nec Deum nec Christum absque spiritus Divini revelatione, Patrem & Filium retegente, prædicare posse: quam quidem revelationem hominum

(z) Is. 54:13. Joh. 6:45. (a) Is. 54:17. (b) 1 Cor. 14:15. (c) Jud. 20. (d) Rom. 8:26,27. (e) 1 Cor. 2:10. (f) Rom. 1:17. (g) Gal. 1:11,12. (h) Gal. 1:15,16. (i) Mat. 11:27.

minum millia sibi patefactam in perpetuum Dei honorem testantur, qui & gratis Patrem prædicant, in luce illius, sicut ipse est in luce, ambulant, communionem cum Patre & Filio & se invicem mutuam obtinentes; Ob quam gratiæ immortales Deo in secula seculorum hoc nomine debentur & exhibentur.

Testimonium Scripturis consonum; ast Persecutioni, Religionis causa, maxime contrarium. Sive Consilium, de abrogandis legibus, Conscientiam teneram, Dei Prærogativam, constringentibus.

HAMANUS Judæos stirpitus evellere cupiebat, eo quod Cultus eorum Religiosus Ahasuero Regi contrarius esse videretur, dicebatque Regi in rem non esse, ut viverent, sed de medio fuit sublatus; Regi enim aliter visum erat, qui ipsis vitam & libertatem permisit, quia in rem suam cedere liquido cerneret.

Christus increpatis de Cœlo ignem advocantibus, ad illos perdendos, qui Christum recipere nolebant, dixit: Nescitis cujus Spiritus estis. Numne igitur isti perceperunt cujusnam essent Spiritus, qui jam inde ab Apostolorum diebus necandis hominibus Religionis causa, incubuere, quique non quidem ignem de Cœlo ad alios perimendos sunt comprecati, verum rogos ipsos ob id ipsum in Terris construendos curarunt. Nonne ergo hi, qui talia perpetrant, majori increpatione digni sunt, atque animis magis cœci, quam qui ignem de Cœlo, ad illos cremandos, qui Christum recipere nolebant, provocare nitebantur?

Legimus quidem; Christum flagello è funiculis facto Emptores & Venditores ex Templo Dei ejecisse; (a) nunquam autem, ullum ab eo ad intrandum flagellis adactum fuisse.

Christus quoque dixit: Sinite Zizania & triticum una crescere usque ad messem, qui finis Mundi est, ne triticum eradicetur, & in fine Mundi Christus Angelos suos Messores emittet. (b) Ast Angeli ad hoc Officium destinati Spiritus sunt, & non homines, qui sibi tale aliquid nunc arrogare audent.

Christus Petrum, Gladium in vaginam recondere, juffit, addendo: omnes qui Gladio usi fuerint, Gladio peribunt. (c) Petrusne postea aut Apostolorum quisquam stricto Gladio Carnali aut armis Carnalibus, quibus Ecclesiam Christi, Cultum Religiosum aut fidem defenderent, usi sunt? Contra vero Petrus, Christi jussu, gladium recondidit, & Christus auriculam servi Pontificis amputatam sanavit, id quod manifestissimum indicium, Evangelio Christi non inesse destruendi sed sanandi naturam. Apostolus dicebat: (d) Arma nostræ militiæ non sunt Carnalia, sed spiritualia, & quod nec adversus carnem nec sanguinem luctemur; Verum

(a) Luc. 19: 45. (b) Matth. 13: (c) Matth. 26: 52. (d) 2 Cor. 10: 4. Eph. 6: 12.

nonne omnes Christiani, [nominetenus scilicet] qui post Apostolorum tempora Ecclesias suas, Cultuumque rationes armis Carnalibus defenderunt, adversus Carnem & Sanguinem colluctati sunt? Nonne Arma militiaque eorum Carnalia, non autem Spiritualia, cujusmodi arma Apostolorum, Ecclesiæque Christi Primævæ, fuere? Hi igitur, qui gladium, ut Cultuum rationes fideique suæ formulas defenderent, eduxerunt, nullatenus eo, quo Apostoli, Spiritu, sed longe potius Apollyonis, præditi fuerunt.

Atque & isti sacra Scriptura quam maxime abusi, qui, ad persecutionem Religionis causa protegendam, hæc ejus verba adducebant: Omnis anima Potestatibus supereminentibus subjecta esto; proinde Subjecti estote cuivis humanæ ordinationi propter Dominum ad ultionem facinorosorum destinatæ; (*e*) Qui autem hi facinorosi sint Apostolus alibi (*f*) exponit, nempe Homicidæ, Parricidæ, Matricidæ, Perfidiosi, &c. Neutiquam ergo dicit: Omnis anima Potestatibus supereminentibus & cuivis ordinationi humanæ subjecta esto, ut & vel ideo homines Religionis, fidei & Cultus divini causa, cumque Conscientiæ stimulo vel ab hujus vel illius Cœtus religiosi communitate abstinent, morte sint mulctandi; Si enim hæc fuisset Apostoli mens, cur ipsemet semetipsum Judæorum Cæsarisque Romani Imperatoris Religioni ut & Dianæ Ephesinæ non submisit? Sed contra Ecclesiæ Christi clare proponit: (*g*) non esse tangendas aut gustandas Doctrinas, præscripta & ordinationes humanas; ipsique dicens (*h*): Christum legem mandatorum in dogmatis aboleviſſe. Tantum itaque abfuerunt Christiani ut sese vel Judaicis vel Ethnicis subjicerent, cum in mandatis haberent, talia non esse tangenda aut gustanda, quæ omnia, dicente hoc Apostolo (*i*) ipso usu corrumpuntur.

Numne Legimus in Apocalypsi Joannis: (*k*) Bestiam Draconis Potentia stipatam fuisse, qui omnibus in unum a summo ad infimum vi compulsis Ipsum, ipsiusque imaginem receptam, suam & Religionem colere adegit? ut & qui fuit finis? nimirum (*l*) Bestiam in lacum igne ardentem detrusam fuisse; & Sanguinem Prophetarum & Jesu martyrum inventum fuisse in Babylone Mysterio, id est, in falsa Ecclesia, quæ est Scortationum Ecclesiæque Adulterinæ Mater, Sanctorum Sanguine & Martyrum Jesu inebriata.

Et ibidem porro: (*m*) Ea incolas Terræ suæ Scortationis vino infatuante ebrios fuisse; unde tanta in sanctos rabies Martyresque Jesu promanavit. Sed quid dicat Johannes de exitu & fine ejus, jamjam a nobis indicatum.

Durantibus decem istis persecutionibus legimus quantum Christianis excidium ab Ethnicis Regibus & Imperatoribus sit illatum, eo quod illorum religioso cultui sese adjungere aut conformes esse negarent.

Annon ergo plurimi interest Christianorum, ut sepositis armis carnalibus, Gladiisque materialibus in vaginas reconditis, uti Christus docet, quibus cum hactenus, sed tamen frustra, Religionem, Ecclesiam & Cultum defendere ausi, armis Spiritualibus, quibus Apostoli usi, utantur? Et

(*e*) Rom. 13:1. 1 Petr. 2:13,14. (*f*) 1 Tim. 1:9,10. (*g*) Col. 2:21. (*h*) Eph. 2:15. (*i*) Col. 2:22. (*k*) Apoc. 8:4. (*l*) Apoc. 19:20. (*m*) Apoc. 17:5.

Et certe obſervatione ipſis digniſſimum foret, ut conſiderent iſtos, quorum veſtigia tales perſecutores ſecuti fuerint, ubi veteris Caini primum invenient; aſt quid inde ipſe meritus? Vagabundus factus; quando ſcilicet fide neglecta Abelem juſtum, fratrem ſuum occidebat; memores quoque ſint Ishmael, qui ſobolis legitimæ inſectator fuit Lethalis; & quid de hoc Apoſtolus dicat: *(n)* Qui ex carne natus eſt, ex ſpiritu natum perſecutus eſt; id quod & hodie evenit; Nunquam enim legimus, quemquam, ſpiritu natum, alios perſecutum eſſe; nam Chriſtus ſuis præcipit: *(o)* Inimicos diligite; mutuum amorem colite; addendo: Hinc innoteſcet, vos eſſe meos Diſcipulos. Iſti autem his non obedientes poſſuntne eſſe ipſius diſcipuli? ideo omnibus qui Chriſtum profitentur, incumbit præcepta quoque Chriſti obſervare.

Nebuchodonozor Præconem clamare juſſit, ut ſi quis imaginem a ſe erectam incurvatus non colat, in fornacem igne ardentem conjicitor; *(p)* Deus vero fruſtrato hominis propoſito populum ſuum incolumem ſervavit; & nonne Dominus dein ipſi oſtendebat: Altiſſimum in regnis hominum regnare?

Ne permitendum itaque, ut ullus in poſterum præco inter Chriſtianos ſub pœna concremationis, ſuſpendii, Incarcerationis, bonorum abripiendorum proclamet recuſantibus ſeſe incurvare, aut abnegantibus Ideam Religionis a ſua alienam adorare: Ejuſmodi enim Religionem veram eſſe omnino eſt impoſſibile, quia Chriſtus nihil tale uſpiam mandavit, & quando Diſcipulos ſuos ad Evangelizandum omnibus Gentibus emiſit, nunquam ſub pœna Concremationis, ſuſpendii, Patibuli, incarcerationis aut bonorum abripiendorum eis, qui Evangelium hoc aut ipſos recipere reſpuebant, denunciata, ſed pulverem pedum eorum die noviſſimo firmum ad id evincendum Teſtimonium eſſe voluit.

Nonne Pharao cum toto ſuo exercitu liberos Dei perſequebatur & penitus deſtruere conabatur? quem autem ille cum ſuo exercitu exitum ſortitus palam eſt, in mare enim divinitus immiſſo ſui populi ſuſpiriis a Domino auditis peribat. *(q)*

Sic & Herodes atrox fuit cultorum Domini Perſecutor, qui tot infantulos necandos curavit, nec defuit ipſi Voluntas ipſum quoque Chriſtum mortis ſupplicio afficiendi; Deus autem ipſum ex ipſius manu eruit.

Nonne itaque tempus nunc juſte poſtulat, ab imitatione peſſimorum horum exemplorum, & per conſequens ab ipſa ob Religionis cauſam perſecutione deſiſtere, quia, uti percepimus, hæc non ex Deo ſunt, verum, uti Apoſtolus loquitur: *(r)* Qui fratrem odio proſequitur, homicida eſt, nec habet vitam æternam in ſe manentem, qui vero in Charitate habitat, in Deo habitat, nam Deus Charitas eſt.

Si Davidi olim Templum ædificare externum nefas fuit, quia ſanguinem in bellis externis ſub veteri fœdere effudiſſet (s); quomodo vos, quorum opera tot cædes perſonarum, violationes bonorum direptiones que Religionis cauſa perpetratæ fuere, quique Spiritum Jeſu Chriſti pacificum igno-

(n) Gal. 4: 29. (o) Matth. 5: 44. Joh. 13: 34, 35. (p) Dan. 3: 6. (q) Exod. 14: 28. (r) 1 Joh. 3: 15. (s) 1 Chron. 22: 8.

ignoratis, Templum Spirituale ſub Novo Fœdere condere poteſtis?

Si itaque Zion ſub Veteri Pacto ſanguinis diſpendio non erat ædificanda, eſt ne igitur veriſimile, Hieroſolymam Cœleſtem ſub Novo Fœdere a Chriſtianis, ita dictis, ſanguinis effuſione, Perſecutione, Carceratione, bonorum abreptionibus ædificatum iri, quum Chriſtus ipſe, ſicuti in præcedentibus innuimus, eis palam teſtatus ſit, qui ignem de Cœlo ad homines necandos advocabant: Neſcitis, cujus vos Spiritus ſitis; Quomodo igitur dignoſcere poteſtis, cujus & vos Spiritus ſitis, qui occiditis, ad necem in Carceribus, bonis abripiendis, idque de rebus fidei, Eccleſiæ & Cultus religioſi inſectati eſtis atrociter? Unice hoc ex his certè concludere poteſtis, vos in hiſce perpetrandis & ad hæc perficienda nullius boni Spiritus ductum ſequutos fuiſſe; Quam igitur periculoſum eſt his, vel corporum nedum animarum curam concredere, qui, cujus Spiritus ſint, ignorant!

Jeſus Chriſtus quidem turbam ſæpiſſime hiſce allocutus eſt verbis: (*t*) qui aures ad audiendum habet, audiat; nunquam tamen ullos auditu orbatos, aut qui aures obturabant, ne audiant, atque oculos præcludentes, ne videant & convertantur, perſecutus eſt; nec ullum a Cultu ſuo religioſo aut Religione abhorrentem, in Carcerem detruſit; aut quod cultui ab ipſo inſtituto minime conformes eſſent, bona abripienda præcepit; ſed ſolummodo, uti dictum, ſua aures habentibus commendabat.

Eodem modo & Joannes Septem Eccleſiis dicit: (*v*) qui aurem habet, audiat, quid Spiritus dicat Eccleſiis; haut vero dicit: qui aurem non habet ad audiendum, quid Spiritus dicat Eccleſiis, aut conformis eſſe reſpuerit, in Carcerem conjicitor, bona iſtiuſmodi hominis abripiantur vel ipſe in exilium mittatur &c. neque enim Chriſtus neque ab illo Apoſtoli tale quidpiam uſpiam præceperunt. Chriſti & Apoſtolorum verba, uti in præcedentibus mentio facta, ſic ſe habent: Voſmet mutuo amore proſequimini; Inimicos diligite, qui enim in amore habitat, in Deo habitat, & qui fratrem odit eſt homicida, nullus vero homicida vitam habet æternam in ſe manentem. Sic ex Apocalypſi adductum fuit: Beſtiam quidem fuiſſe Draconis potentia munitam, huncque omnes a minimis ad maximos ad ſe imaginemque ſuam colendum adegiſſe: Ubi tamen exitum quoque percepimus: Nimirum & Beſtiam, & Draconem, eorumque Aſſeclas & Cultores in Lacum flagrantem deturbatos fuiſſe.

Nonne igitur quam maxime & extreme neceſſarium eſt omnibus, qui Chriſti doctrinam nomenque profitentur, & tamen armis Carnalibus ſuam Religionem defendere, & alios ad eam amplectendam vi adigere conantur, ut reſipiſcant, & ad frugem meliorem ſeſe recipiant, armiſque Apoſtolorum ſpiritualibus, quibus ſolummodo Fides, Eccleſia, Religio & Cultus divinus propagatur, utantur.

(*t*) Matth. 11: 15. (*v*) Apoc. 2: 7.

FINIS.

12

Rettung der Warheit.

Wordurch dargethan wird/

Daß

Die von Adrian Pauli Predigern in Dantzig in einem zu Marburg des 1680sten Jahrs getrucktem Buche fernerweit wider die von der Welt spottweise genennte Quacker heraußgegebene Stellungen falsch;

Seine sechs Puncten / die er ihnen aufzubürden gedencket / untersuchet;

Die Glaubens-Stücke solcher Leute hierunter erläutert / und mit denen heiligen Schrifften übereinkommende befunden seynd.

Ingleichen

Eine Antwort auf das übrige in gedachtem Buche des Adrian Pauli gegen George Fox;

In einem Sendschreiben an einen Freund in Holland

Von

ROBERT BARCLAY.

Auß dem Englischen übergesetzet.

Amsterdam/
Gedruckt vor Jacob Clauß Buchhandler 1681.

Th. Th. I. 160. a.